



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. III. Magistratus duplex, Ecclesiasticus, ciuilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

contra ius sit. Ministerio liberarum vtatur, si quæ velint, mercede, vel spe gratiæ operam impendere. De iniuria igitur, loquitur; alioqui tyrannis non est, & ne dum quidem in ministerio aularum homines vltro se offerentes, & præmia petentes occupari; hodie quoque ad ea aspirare plurimos docet experientia. Hic vero ingenuæ velut seruæ accipiuntur, pro vnguentariis, & coquariis, & panificis, & illa acerbitate, vt ipsæ parenteque ipsarum clament à facie regis.

Aequum aut, vt seruus regis alantur, vbi autem nihil est adesse, & regnum nouo iure fundandum, necesse est, vt regio cederet ius despoticum.

Familia principis sit moderata.

Regiam familiam ali, recta ratio, atque adeo iustitia suadet. Sed familia sit moderata, non nimis ampla nec preciose vestita, nec delicate enutritur. Non datur illi agri, oliuetæ, vineæ optima, sed honorata merces; aut in vicem sine mercede regem custodiant.

Rex ne sit inuicibilis.

Quod si pro tutela regis, & dignitate conferre nolint subditi, non tamen priuatorum agros, aut vinea rapere poterit. Deinde si summæ potestati tanta ianua aperiat, finis rapiendi erit nullus. Quis dubitet Achab esse ideo punitum, quod vineam Naboth iniuncto Domino eripuit? Verum de sensu scripturæ disputamus. Propheta Samuel nequaquam minatur, fore, vt rex si dare recuset, quod iustum est, ipse sibi pareat. Neque enim Iudæi cum regem peterent more vicinarum gentium, iusta eius ornamenta negabant. Hæc autem pœna est, vt sciant regis adulatores, delatores, calumniatores, voluptatum inuētores provinciarum opibus lacerandos.

Decima Eunuchis flagitiose dantur.

Quarto. Decimas etiam licitas asserit, imo principes quosdam accepisse octauas, idque ius esse regni. Verum de iure decimarum alia est disputatio. No est peccatum, sed omnino iustum, & secundum naturam, vt decimas & alia subsidia conferant, at vero hic decimæ nequissimis hominum Eunuchis dantur, & regni tam terribilis decimæ. Eunuchi maleuoli, auari, & cum ad dignationem principum peruenerunt, certa pestis Reipublicæ fuerunt; inter tot myriadas vix decem boni. In Iudæa veriti erant castrati, itaque exteri erant, qui decimis faginabantur.

Lachrymæ subditorum regis tyrannidis sunt testes.

Neque ad rem est, quod quatuor in his ad tyrannidem fugiendam proponit. 1. Vt sit iusta causa imponendi. 2. Si sit vtiq; proportionata. 3. Si solutio facultatibus adæquata. 4. Si vltra necessitatem non progetur. Verissima illa sunt, sed Spiritus S. de his loquitur, ob quæ clamabunt ad Deum, & seru ierunt. At nemo clamabit si iuste, proportionate, pro facultatibus, in causa necessaria sint tributa danda. Hæc est bene constituta Reipublicæ salus. Nec grauati quicquam potuit, si medioctem regi aulam iustitaret Iudæa, quæ antea plurimos reges aluerat. Quæ vero belli tempore faciendæ fuerunt, illa non minus à ducibus, & iudicibus exigi debuerunt. Quam vero sit in angustum redacta potestas regum, iustitia æqualisque demonstrat.

CAPVT III.

Magistratus duplex, Ecclesiasticus, Civilis.

Duplex natura duplici potestate regitur.

§. 1. Quæ admodum anima, & corpore natura hominis constat, ita quoque duo principia sunt; quibus secundum naturam dirigitur, & in suos fines deducitur. Potestas politica, quam ad corporum salutem, pacem, vitæ honestatem naturalem Deus esse voluit; Deinde potestas spiritalis, quæ ad diuinam & supernaturalia animam attollit.

§. 2. Antiqua est æmulatio inter sacerdotium, & regnum. Multi regiam maiestatem admirati, vel adulati anteponunt sceptrum infusæ, sapientiores, potiores, & ab omni suspitione adulationis alieni sacerdotium præferunt. Magna sunt iura regum; In rege fons

est dignitatum, summa gloria imago. Et Cyrillus de recta in Christum fide. Illis dicitur *di estis, & filii excelsi omnes*. In folio Dei sedent, vindices sunt, & gladium portant, sunt Christi Domini, lumina Ecclesiæ, sacrosancti, & quæ plurima ad maiestatis humanæ firmitudinem maiestas æterna sanxit.

Maius est tamen sacerdotium regno; illi enim dictum est. *Quæcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cælo, quæ ligaueritis super terram erunt ligata & in cælo*. Regem igitur soluet aut ligabit sacerdos, & ratum erit in cælo apud Deum, sacerdotis iudicium. Nec exemptos ea iurisdictione reges testatur sacerdos fortis, & iudicio boni regis laudatus, Ambrosius Antistes Mediolanensis. Neque negant illi, qui veteris sacerdotii dignitatem ad curiam, & diademæ regum transfulerunt; nam sibi & Ecclesiis suis, quas ita appellat hanc potestatem arrogarunt, quæ de re agam, cum de magistratu politico disseram, nunc duplicis potestatis differentiam, & spiritalis eminentiam proponam.

§. 3. Discrimen sacræ, & civilis potestatis primo in fine vtriusque cernitur. Ecclesiastici enim magistratus finis est; subditos ad pietatem, religionemque & supernaturalem felicitatem deducere, idque ex officio, & singulari obligatione. Politicus pacem, & publicam tranquillitatem spectat, virtutemque; moralem; quia tamē interdum ille Christianus est, omnia ista ad Dei gloriam, æternamque salutem referre debet. Quapropter summo studio potestates ille coniungendæ sunt; vt mutuo auxilio, ciues bonos efficiant. Hinc publicæ quieti per omnia consulit Ecclesiasticus; & quæ regioni obstant, vt blasphemias, Circi furores, theatri obscenitates, è medio tollet princeps.

Deinde diuersam etiam causam efficientem habent; Quamquam enim tam regnum, quam sacerdotium est à Deo, in ratione tamen collationis plerumque diuersitas est. Nam civilem iurisdictionem populus, seu vniuersa Reipublica confert, quod ius eam in paucis residet, à tota tamen republica pauci illud acceperunt. Sacerdotii ius maius est, & diuinus, quam vt à populo, vel principe conferatur; Ius civilis potestatis ex natura oritur, & in vnum, vel plures à republica determinatur; at in sacris antistitibus persona designatur ab hominibus, potestas à Deo confertur.

§. 4. Modo regendi, & mediis ad fines diuersos tendentibus differunt. Pontifex docendo, hortando, æterna præmia proponens à vitis auocat, & ad virtutem adducit. Imperator hæc quoque adhibet, sed magis imperio, quam monitione vtitur. Ratio discriminis est, quia civilis potestas per se externa opera tantummodo spectat; Ecclesiastica animos, & internam pietatē adurget. Hinc pœnæ civiles feræ externæ sunt, vt infamia, exilium, mors; Ecclesiasticæ internæ pleræque, vt excommunicatio, irregularitas, quæ ad animos pertinet. Quamquam externas quoque adhibeat.

§. 5. Si civilis & spiritalis potestas inter se conferantur, quibusdā in rebus prærogatiuā habet civilis: simpliciter præstantior est spiritalis. Vtraque pars si contentio absit, facile inclarescit.

Civilis potestas quedam habet, quæ in sacram non cōueniunt. Quorum primum est maiestatis insignia, apparatusque, & satellitum multitudo, neque enim in probandus est Episcopus, nisi simul etiam princeps sit, si regio splendore procedat, aut principali.

Alterum est; Quod civile imperium in corpora, truncanda, trucidanda ius habet. Spiritale vero in pœnis corporum paternam correctionem excedere non potest. Occidere, mutilare, orquere, flagellis concidere, exilio plectere, carcere graui, & perpetuo mancipare ex se potestatem non habet. Hæc enim sunt opera gladii corporalis. Ita Gregorius Ioanni Episcopo Constantinopolitano lib. 2. Ep. 52. *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene supplicium.*

Sacerdotii regno bene ratius.

Externam, internamque pacem duplex potestas propositam habet.

Vtraque potestas vniuersam Reipublicam perficit.

Politica potestas à Reipublica confertur, sacra à Deo.

Religio animos, politica externos mores format.

Civilis potestas quædam habet, quæ in sacram non cōueniunt.

Spiritalis potestas corripit citra supplicium.

ff

fraternitas

fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus non percussiores: & egregius predicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Noua vero, atque inaudita est ista predicatio, quæ per uerba exigit fidem.

Moderata correctio permittitur sacerdoti.

Correctio tamen moderata permittitur, & recte ad canonum præscripta uerbis, carceribus, exiliis castigatur, cum sic merita exigunt, sed hæc potestas cum grauioribus poenis exercet à seculari accepta est, & seculari manu utitur.

Tertium est, quod regum est etiã potestas in ipsos sacerdotes, nisi exempti sint, uti nunc te ipsa, & iure sunt, de qua re, postea de exemptione dicam.

Sacra potestas maior est seculari.

§. 6. Potestas spiritualis absolute dignior est, & præstantior ciuili. Est enim archiepiscopica, cui subordinata est ciuilis, cum finis sacre potestatis sit multo præstantior, quocirca & Christus rex filia: Sion, rex manifestus, eam semper, politicam uix unquam exercuit.

§. 7. Prærogatiua autem sacre potestatis multiplex est.

Prima certe dignitas omnium gentium iudiciis sacerdotum tribuitur, cuius causa est, quod inter Deum & populum medius constituitur. Hinc etiam magis numine, quam sua potentia tutus est sacerdos. Ita hac de re sentit scriptor alioqui atheus, & diuine prouidentie negator; qui effectum intuitus causam necessiuit, Mach. in principe suo. c. 11. Nunc de pontifice sacroque principatu nobis duntaxat reliquum est, ut differamus, quem difficultates omnes priusquam possideatur, circumfistunt. Aut enim uirtutis, aut fortuna fauore queritur: harum tamen neutrius opera conseruatur. Institutis enim, quæ iam in religione ipsa uetustate conseruauerunt, continetur, quorum omnium uis & natura tanta est, ut suos principes, quomodocunque se gerant, aut uitam instituant, in imperio tueantur. Hi uero omnium dominatum habent, nec illum defendunt. Habent & qui subiiciuntur populos, quorum tamen regendi cura nulla tanguntur.

Sacrum imperium Deus tue-tur.

Eorum prouincias, indefensa cum sint, qui ab eis auferat nemo est. Populi item sub eorum administratione cum se neglectos sentiant, nihil morantur. Ut autem ab eis sese subtrahant aut explerent, tantum abest ut cogitent, ut ne possint quidem. Hi uero omnium itaque dominatus securi sunt & felices.

Calumnias inter, & impietatem elucet tamen ea uerba; quod celesti numine regantur, & quod eos Deus sublimis ferat.

Nec sane uerum tantummodo Christianumque sacerdotium ea laude, & potestate pollet, sed Iudeorum etiam quod magno in honore fuit; quod typus fuit, & imago supercelestis illius luminis, quod Christus uerus sacerdos, secundum ordinem Melchisedec, & uerus rex Ecclesiæ per se, suosque legatos & vicarios pontifices intulit. Auctoritas typici sacerdotii munita est lege Dei sanctissima Deutero. 17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem; causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas uideris uerba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii ueritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præ sunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

Sacerdotium Israeliticum minus regno erat.

Et quorundam gentium.

Hinc etiam ad gentium impios sacerdotes, & idolatras potestatem superstitionis deriuauit; Antiquitus, inquit Strabo Geograph. lib. 17. Meroe, quæ est Metropolis regni Aethiopici, penes sacerdotes summa potestas fuit, tantaque auctoritas, ut nonnunquam missio nuncio, mortem regi imperarent, & alium ei subrogarent.

Eadem potestate in uicina Aegypto pollebant teste Aliano uariæ historiæ lib. 14. cap. 34. Iudices enim apud Aegyptios iidem erant, qui sacerdotes. Olim in Perside

magi, qui & sapientes erant, & sacrificuli regnabant. Nunc uero, inquit Agathias, magos huius temporis Persæ honorant, & quam maxime venerantur, ut quorum consilio publica omnia, & prædictionibus administrantur, seorsumque quid quisque præmii, pro re bene gesta promeretur, quidue supplicii, qui flagitium fecerit, præsidendo & cognoscendo decernant: nec sane Persis, uel legitimum aliquid fore, uel æquum uidebitur, quod magorum non sit sententia firmatum. Ita lib. 2. histor. Causa tam honoratæ superstitionis erat, quod numen ipsum venerabile, ideoque & cultores eius colendos arbitrantur.

Itaque & Romani in ius sacerdotii multa contulerunt, nempe fœderum, bellorum, pacisque rationem ab hisce petebant.

Exemptio sacerdotum partim humani, partim diuini iuris.

§. 8. Altera in exemptione à legibus, & oneribus ciuilibus est prærogatiua, & maxima præ cunctis libertas. Quæ partim diuino, partim iure humano concessa est. Iure diuino eam habent immunitatem, quæ officio sacrificandi, docendi, ligandi, absoluedi necessaria est.

Cum enim Christus Apostolos suos in omnem terram misit, nulla eos potestas in toto mundo impedire, remorari, aut quocumque modo inhibere potuit. Itaque contra Iudeorum, Præsidum Romanorum, regumque barbarorum edicta, persecutiones, carceres, tormenta, cruces nomen Domini intrepide annuntiabant. Nec expressis decretis modo, sed nec per ambages, & callidam uerfuriam in suo munere impediri possunt. Officii curialibus ita occupari non possunt, ut studiis, orationibus, exhortationi vacare non possint; quæ ratio in omnibus ciuilibus oneribus quæ spiritualium exercitia prohibent, locum habet. Si enim Deus Apostolos, Doctores, Euangelistas, Episcoposque constituit, si eos fungi suo munere uoluit, tyrannis est, & impia dominatio, quæ diuinæ Hierarchiæ se opponit. Nec iusta est horum missio, si alia est in orbe Christiano potentia, quæ legitime eam subuertere & impedire potest. V. G. Episcopi munus est pascere oues, seruare integras, contritas alligare, debiles fouere, omnibus monitione, adhortatione, consilio, auxilio adesse, consolatione atque increpatione prodesse; Non igitur cum imperator, uel in aulicis negotiis, legationibus, militia, prouinciarum administratione occupare potest, ut functione sua abistere cogatur, cui omnino prospectum esse per ipsos Episcopos, uel alios legitime substitutos, idoneos, & gnaus operarios necessarium est. Hæc igitur immunitas est diuini iuris, nec enim D. Paulus, aut Petrus Neroni ad nomen uocanti respondere cogebatur, aut contra barbaros ire militatum; nec Episcopi, & presbyteri, ut Timotheus, Titus, alique relicto uerbo Dei imperialibus præceptis obligati fuerunt, aut obligari potuerunt.

Sacerdos in suo officio per secularem potestatem impediri non potest.

Deus uocatione ministerios eximit à potestate regum in suo officio.

Alia exemptio est iuris humani, principum prouinciarum munificentia; & auctoritate concessa. Huiusmodi plena sunt omnia legum monumenta ut lex Gratian. Valentin. Theod. AAA. tit. 2. lib. 1. cod. Placet rationabilis consilii tenore perpenso: districta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularum urbium Ecclesiæ habeantur immunes, prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est: ne prædialibus uisibus celestium secretorum dedicata, sordidarum munerum fece uexentur: nil extrordinarium ab hinc superinductum ue flagiretur, nulla translationum sollicitudo signetur: postremo nihil præter canonicam illationem, quam aduentitiae necessitatis sarcina repentina poposcit, eius functionibus adscribatur. Si quis contrauenerit post debita ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur.

Prædialibus Ecclesiæ legibus exempta sunt.

Multis legibus est cautum Ecclesiæ.

Et Frederici secundi imperatoris. Cassa & irrita esse denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, eiusque personas, inducias aduersus canonicas & imperiales sanctiones, & ea de

capitularibus penitus aboleri mandat noua constitutio: & de cetero similia attentata ipso iure nulla esse decernit. Si quid contra fiat, pena, qua statuta sunt, imminerebunt. Sed si per annum huius nouella constitutionis aliqui inueniri fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium impune ab omnibus occupentur.

Et Constantini; Omnis à Clericis indebita conuentio iniuria, & iniqua exactionis repellatur improbitas, nullaq; conuentio sit contra eos munerū sordidorum, & cum negotiatores ad aliquā praestationē competentem vocantur, ab his vniuersis istiusmodi strepitus conquiescat. Si quid n. vel parsimonia, vel prouisione, vel mercatura (honestati tamen consilia) congesterint: id in usum pauperum atque egentium ministrari oportet ad id, quod ad eorundem ergasteria vel tabernis conquiri poterit & colligi, collectum id religionis existimant lucrum. Verum etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent, diuī principis genitoris mei statuta multimoda obseruatione cauere, ut idem clerici priuilegiis pluribus redundarent. Itaque extraordinariorum munerum à praedictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. Ad parangariam quamq; praestationem non vocentur, nec eorundem facultates atque substantia. Omnibus clericis huiusmodi praerogatiua succurrat, ut & coniugia clericorum ac liberi eorum quoque & ministeria, maiores pariter ac sexinia, eorumque filii & filiae immunes semper ab huiusmodi numeribus perseuerent. Totus titulus tertius libri primae Episcopis, clericis, & orphanotrophis hac persequitur.

Hac exemptio rerum, & personarum diuino iuri consona est, sed humanis legibus concessa; quae vix negari potuit quod deceret, & penē necessarium fuerit, illa immunitate Dei ministris affici, ut vero illa omnia feruentur ordini sacro pacta conuenta, & eorū sanctitas fidesque, qui dederunt, requirit.

§. 9. Tertia praerogatiua est, quod in rebus Ecclesiasticis nullum ius est imperatoris, aut principis. Sic & Orlas Rex, (inquit Cyprian. lib. de vnit. Eccles.) cum tributulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote obtemperare nollet, & credere, diuina indignatione confusus, & lepra varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offensus Domino, ubi signantur, qui Dominum promerentur. Et filii Aaron, qui imposuerunt altari, ignem alienum, quem non preceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt.

Itaque in Synodo Rom. 3. sub Symmacho decretum, ne se reges rebus sacris miscerent. distinct. 96. cap. 1. Bene. ita & in Chalcedonenſi Synodo Martianus, non iudex interesse, sed ad tuenda decreta, voluit, ad confirmandam fidem, non offendendam potentiam exemplo religiosissimi principis Constantini interesse volumus, ait. Denique de rebus diuinis se iudicare negat, cap. 5. Nec minus Theodosius cum ad Synodum Ephesinam Candidianum comitem domesticorum mitteret, vetuit eum Ecclesiasticis miseri tractatibus. Hinc Constantinus magnus, cum ad eum Donatistae appellassent, eos ad Melchadem reiecit. Valentinianus etiam cū Hypatianus Heracleae Episcopus eum de loco concilii consulere, respondit, Non licere sibi negotiis Ecclesiasticis immisceri, ipsi ubi libitum sit, conueniant. Socrat. lib. 4. cap. 3. Idem Episcopum à Synodo ad saeculare tribunal appellatam pecuniaria multa puniuit, easque appellationes vetuit. Gratianus imperator causas Episcoporum ad Metropolitā à tribunali saeculari reiecit.

Merito itaque laudanda est Ambrosii Constantia, qui coram Imperatore Valentiniano iunior, & iudicibus saecularibus contra Auxentium Arianæ partis Episcopum disputare recusauit, nec minis, aut Augusti potestatis reuerentia, de libertate sua cessit. Incessit ea reuerentia pontificum etiam impios imperatores, & reges. Theodoricus Gothorum rex

Arianus Symmacho accusato, iudices Episcopos esse voluit, ad quos cognitionem remisit. Illum imitatus nepos eius Athalaricus noluit Clericos à saecularibus iudicari.

Verum de his alias pluribus, nunc ad differentiam Imperii, & sacerdotii dicenda ista fuerunt, quam differentiam tantam esse Amb. cap. 2. de dignit. sacerdotii refert, quod aurum in metallis id sacerdotum fore, si ad regnum compares. Gregorius Nazianz. Nos quoque imperium gerere & praestantius, nisi vero aquum est, spiritum carnis fascibus submittere. Eadem Chrysostomus in Isa. homil. 4. & 5.

Vere itaque has duas potestates dispescuit Gelasius, cum scriberet Anastasio imperatori: Duo (distinct. 96. cap. 10.) sunt quippe, Imperator Augustus, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino sunt reddituri examinationem.

Quae Gregorius septimus pro veritatis confirmatione adducit.

§. 10. Magistratus civilis est sacerdotum aduocatus & defensor. Angeretur pluribus, princeps Christianissime, mater Ecclesia, (inquit Bonifacius ad Honorium) nisi apud te suarum esset secura causarum, & nisi in appressionibus idolorum, in haereticorum correctionibus, fides tua, diuino cultu pariter cum imperio semper florente, vicisset. Hinc etiam iureiurando obstringitur pontifici imperator. Iuramentum eius in constitutione Othonis illud est. Tibi Domino Ioanni Papa ego rex Orho promittere, & iurare facio per patrem, & filium, & per lignum hoc iussit crucis, & per has reliquias sanctorum: quod si permittente Domino Romanam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & tereclore ipsius exaltabo secundum posse meum, & nunquam vitam, aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Romana vrbe nullum placitum, aut ordinationem facia de omnibus, quae ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem, peruenerit, tibi reddam: & cuiusque Italicum regnum commiserō, iurare faciam illum, ut adiutor tui sit ad defendendum terram sancti Petri secundum suum posse. Sic me Deus adiuet, & haec sancta Dei Euangelia.

Itaque reges & principes Ecclesiae se filios appellare conueniunt, tyranni Dominos. Optime Gregorius 7. Quis dubitet Sacerdotes Christi regum, & principum, omniumque fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filii patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum sua potestate subiicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in caelis se ligari posse & solui. Iudex autem regum, eo saltem modo, quo reges iudicat, maior est regibus.

Regum tremendorum in proprios greges.

Reges in ipsos imperium est sacerdotis.

§. 11. Sacerdotium impense honorat civilis potestas: ita Marcellus Maxentio. Boni principis est, ac religiosi, Ecclesiam contritas atque confusas restaurare, nouas adificare, & Dei sacerdotes honorare, atque tueri. Vnde sanctos Apostolos, eorumque successores sub diuina testatione constituisse legimus: non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro Dominico; neque expellere aterni reges dispensatores.

Nec in eo honore facilis est excessus, cum in ministro suo Deus honoretur.

§. 12. In sacris regia voluntas subdita est sacerdoti, ita distinct. 10. cap. 3. Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem: regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre, & sacrosancta per eorum praesules potius discere, quam docere, Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda iura praefigere, neque eius sanctionibus

Fasces spiritus honoratioris fascibus carnis.

Magistratus Ecclesiae defensor.

Imperator iureiurando Ecclesiam obstringitur.

Reges boni filii Ecclesiae mali sunt Domini.

Potestas civilis honorat Ecclesiasticam.

bus velle dominari, cuius clementia Deus voluit tua pie deuotionis colla submittere: ne dum mensura celestis dispositionis excedatur, eatur in contumeliam disponentis.

Ratio exponitur à Clemente I. de officio sacerdotum. Ep. 3.

et si a-
cris a de-
faceri doti.

Vestrum enim, quia legatione Domini fungimini, est docere populos eorum vero, est vobis obedire vti Deo. Si autem vobis Episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac subdiaconi, & reliqui clerici, omnesque principes, tam maioris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus & lingua non obtemperauerint, non solum infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. Nā vestrum est, eos instruere: eorum est, vobis obedire vti Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino. (Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.) Nihil enim iniustus vel inhonestus est, quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus seu discipulis magistris inobedientes vel proteruos existere.

Sacerdos
regum de-
licta puniit.

§. 13. Hinc multorum sacerdotum ad summos principes libertinæ leguntur increpationes. Gelasius Epist. 13. ad Anastasium imperatorem. Talibus (distin- 96. c. 10.) igitur insitit, talibusque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicauerunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem (quia consensit, vt S. Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur excommunicauit. Beatus Ambrosius, licet sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesiâ exclusit: qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbi, quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principum sui Pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgore compares, & principum diademati, longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiuri.

Sacerdos
regem ex-
communi-
care potest.

§. 14. Reges ab Episcopis excommunicari possunt. Videatur distinct. 96. ca. 10. Duo sunt. Cum enim ita mereri possint principum delicta, sintque illi subditi sacerdotibus, consequitur esse in illis puniendi potestatem. Pœna autem spiritualis primatia est excommunicatio. Fuit ea etiam potestas apud Iudæos, primum in impios, deinde in fideles exercita. Nam absque Synagogis illos faciebant, qui erant impii, vel quos pro talibus habebant. Viguit ea apud Ellenos censura omnium grauissima; nam vt Iosephus libr. 2. belli. cap. 7. refert: Deprehensos vero in peccatis à sua congregatione depellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, miserabiliter plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis & ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum potest; herbas vero pecudum more decerpens, & fame excus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miserati, extremum spiritum agentes receperunt; sufficientem pro peccatis eorum, quæ vsque ad mortem audaxerit, penam luisse censentes.

Ethnicorum
excommu-
nicatio.

Eodem plane modo apud Gentiles excommunicati errabant, sic Thyestes, alique, quorum se confortio contaminari arbitrabantur. Tales illi qui Diti sacri poterant à quolibet impune occidi, vt Dionys. libr. 2. Et Cæsar de bell. Gall. 6. Apud Gallos eos qui Druidis non paruissent sceleratorum loco fuisse, eorum aditum sermonemque omnes fugisse, nec iis ius redditum, nec honorem vllum habitum.

Sacerdos &
rex Chri-
stus.

§. 15. Sacerdotium Christianum regale est. 1. Pet. 2. Christus enim rex & sacerdos fuit; Pilato enim respondit: Tu dicis, quia rex sum ego. Et vere Nathanael Ioan. 1. Tu es filius Dei, tu es rex Israel. Totus etiam populus non ignorans Messia dignitatem venientem ac-

clamauit, Ioan. 12. Hofanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Nam Propheta prædixerat, venturum, regem filia Sion mansuetum. Cum igitur sacerdotum transiit, etiam regnum addidit.

Non abstulit dominatum politicum Christus, sed tamen voluit esse spirituali potestati subiectus; quæ quæ de ratione hæc plura quam regia dici potest. Verè Ignatius Ep. 10. Si enim iure censetur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones: quanto putatis grauiori subiacet supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.

Verum vt ista interdum politicorum moueant indignationem, res tamen ipsa, naturali, diuina, Ecclesiastica, ciuili lege clara manet. Dignitas enim sacerdotum sine religionis concussu, loco moueri non potest.

§. 16. Ius vero sacrum in Ecclesiâ tum multi alii, tum vero egregie defendit, Gregor. Tolofanus libr. 15. de repub. cap. 1. cuius hæc sunt. §. 11. a Zacharias summus Pontifex Ecclesiæ Dei regnum Gallicum à Ludouico in Principum transiit. b Et Stephanus 11. summus pontifex imperium à Græcis in Germanos, & Carolum magnum Pipini filium. c Confirmauit & Germanis maiori privilegio eligendi potestatem Gregorius V. summus pontifex Saxo, circa annum 995. d (Et tubet Diuus Ignatius, presbyteri, inquit, atque omnis clerus, simul cum omni populo, cum militibus & principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus Christo.) e Diuum Ambrosium in Theodosium 1. Cæsarem hanc potestatem exercuisse nemo ambigit, qui Imperatori sacris interdixit, & e cancellis Ecclesiæ remouit, donec penitus de crimine, quod in Thessalia ob seditionem motam, occisumque tribunalum vnum septem millia militum occidisset. f Idipsum & probauit Innocent. 1. in Archadium Cæsarem. g Resistit & Liberius summus pontifex conuenticulis à Cæsare indictis contra Athanas. h Tertullianus Pontificem Max. vocat regem seculi. i Duo gladii Petro fuerunt, iurisdictionis vtriusque symbolum referentes, quos sufficere dixit Deus Dominus Iesus Christus: tamen exercitum ei materialis & corporalis prohibuit, & in vaginam retineri ab eo iussit. k Nec voluit Ecclesiæ suam mortem temporalem inferre I. pasim. Quamuis in lege antiqua sacerdotes eo vterentur, qui adumbrabat Ecclesiâ nostram: quemadmodum vsus eo Samuel in Agagere: m Elias in Prophetas Baal, n & in quinquagenarios Ochozia: o Eliseus in pueros irrisores: p Ioiadas in Athaniam: q Eliachim in Holofernem: r & ipse D. Petrus in Ananiam & Saphiram. l

Itaque ius suum manet Ecclesiæ, & quod à Deo accepit, & quod regum voluntate, & fœdere tenuit quodque diuturna possessione ratum & certum fecit.

CAPVT IV.

Sacrificium Christianum, eiusque ratio.

§. 1. Officia Ecclesiasticorum vel ad Deum, vel proximum, vel ipsos referuntur. Primum ac sanctissimum est officium; Deo sacrificare, orare, psallere Domino, diuinæ lectioni vacare. Alterum docere, monere, iudicare, vel de Ecclesiasticis, vel secularibus. Tertium in his omnibus vitæ integritatem Deo, sibi, proximo præstare. De his ordine itaque agendum est. Primum de sacrificio.

§. 2. Diuinæ maiestati omni semper tempore sacrificium oblatum est. De Christianis etiam temporibus Propheta dixerunt sacrificium esse in omni loco offerendum, & quidem oblationem mundam. Malach. 1. 10. 11. Quod Iustinus in Dialog. cum Tryphon. Irenæus libr. 4. cap. 31. Cyprianus libr. 1. contra Iudæos, Hieronymus, Augustinus ceterique de vero Eucharisti-